

FICOIDES seu ficus indica longissimo latissimoque folio,
caule maculato, fructu minore. *Kigg. beaum.* 21.

*Variatio
sub sua
specie re-
dgitur.*

21. Hanc variationem (20) primum productam a solo
natali differenti, ut fere omnes aliae variationes, non du-
bito, licet deinde multiplicata aliquamdiu retineat indo-
lem, qualia exempla infinita occurrunt in Regno Anima-
li. Heic loci superfluum foret multa loqui de notis spe-
cies perfecte distinguuntibus, deque iis, quae variationes
tantum conficiunt, neque loci ratio permetteret. Refer-
vamus itaque hanc scientiae nostrae partem in aliud tem-
pus.

V. ATTRIBUTA.

*Locus na-
talis, re-
gio, pro-
vincia.*

22. *Locus Natalis* Musae nostrae primarius est per o-
mnes regiones calidissimas Africae & Asiae, licet hoc no-
stro tempore etiam per Americam, uno verbo, per omnia
loca calidiora vulgaris admodum sit. Quibus autem in lo-
cis calor remissior est, in iis etiam rarius & difficilius
prognascitur planta nostra, ut in Japonia, ubi sterilis &
rara existit testante Kämpfero, & in Europa ubi nun-
quam sub dio excrevit.

Americam nunquam inhabitasse Musas nostras ante
quam hominum studio & cura eo delatae fuere, certos
nos reddunt peregrinatorum itineraria. Dicunt enim Plan-
tam hanc e *Guinea* omnium primum in Insulas *Canarias*
transportatam fuisse; inde vero in *Sanct. Domingam* Anno
1516. per *Thomam di Berlanga*, unde hocce tempore
per totam fere *Americam* transplantata sit.

Peregrinatores Musam nostram in infinitis observarunt
& detexerunt locis, e quibus potiora eligam. E. gr. in

Japonia	Kempf.	Guinea	Linschot.	Guajana	Leig.
China	Mandelst.	Æthiopia	Hernand.	Barbados	Ligon.
Java	Drake.	Angola	Knivet.	Mexico	Purch.
Malabar	Rbede.	Tripoli	Rauwol.	Brasilia	Purch.
Ceylona	Hermann.	Arabia	Doff.	Jamaica	Sloane.
Amboina	Rumpf.	Congo	Mandelst.	Bermudis	Johnson.
Molueca	Middl.	Gambia	Johson.	Cuba	Purch.
Siam	Louber.	Cap. Verd.	Mandelst.	Inf. S. Christ.	Smidt.
Madagascar	Lancast.	Inf. S. Thomæ	Mandelst.	Inf. latron.	Pigafetta.
Damasco	Bidulph.				
Maldavia	Pyrard.				
Bengala	Garzias.				
Terra Sancta	Lud. Rom.				

23. Ex determinatis locis, si calculum subducamus, Musam nostram inter *gradus 30. latitudinis loci* utrinque ab æquatore sese continere debere observabimus, in *longitudine* verò *loci* nullis omnino circumscriptam esse limitibus, sed per totum globum terraqueum felicissime prognasci.

24. Inter omnes tamen Regiones nulla est, quæ Musæ nostræ magis arrideat, quam ipsa *Brasilia*: hinc planta nostra nec in Asia, nec in Africa tam magna unquam evadit, ac in Brasilia, testante *Lerio*; ubi duplò major excrescit quam in Syria, quod plurimi peregrinatores testantur.

Aërem calidissimum requirere Musam ex Itinerariis itidem abunde liquet, idque confirmant superius allegata loca, in quibus late & jucunde vigere solet; hinc in Europam translata vel frigore levissimo tacta, facillime læditur, quod plurima funesta exempla testantur.

Solum autem, quod apud Indos amat, & in quo communiter crescit, plerumque arenosum est; ubi etiam ne quid deficiat, cineribus stercoreatur. Nulla tamen

est planta, quæ summo calori resistere possit, nisi sufficienti aquæ copia irroretur.

Hortulani itaque solliciti esse debent, ut loca natalia feracissima Musarum omni modo imitentur, gradu scilicet caloris, terræ qualitate, & aquæ copia, quod si facerent, nulli dubitamus, quin æque apud nos omni anno florent, ac apud Indos. Si, e contra, ut aliæ plantæ, negligenter colatur, binos vix supervivat annos, quod *Muntingius* sine dubio expertus fuerit, cum Musam apud nos nunquam duos annos servari posse proclamat. Planta præsens postquam per aliquot annos sine ullo amoris incitamento tristem transgisset vitam, Nobiliss. Dom. POSSESSOR aliam diætam meditatus est. Quippe gradum caloris intendi iussit, aquam quoque per vices ei majori copia concedi voluit. Quo factò spes EUM non fefellit, obtinuit enim mox flores istos diu desideratissimos Musæ. Gratulentur itaque sibi Hortulani & plantarum Cultores, quod experimento & industria TANTI VIRI addiscere potuerint, plantam hanc frustra coli in hypocausto calidissimo absque humore sufficienti, qui per vices exhibendus est. Si enim sat largâ aquæ copia plantam irrigare vellent, neque calore intensiori eam fovere, certo certius peritura est.

Tempus
florendi.

25. *Tempus florendi*, testantibus in India autopticis, nullum determinari potest certum: excrescit enim, floret, fructumque fert indiscriminatim omni anni tempore, ut flores & fructus apud Indos omni tempore haberi possint, qui in hisce oris tam rari sunt, ut in admirationem trahant omnem Europam.

Musa nostra est jam in ordine quarta, quæ unquam a seculis, quantum nobis constat, in Europa flores protulerit; floruit enim anno

- a. 1731. *Viennæ* in Horto
Principis *Eugenii*.
B. 1732. *Carolsruhæ* in Horto
Principis *Badendurlacensis*.
γ. 1733. *Lipsiæ* in Horto
Caspar-Bosiani.
δ. 1736. *Hartecampiano* in Horto
Nobiliss. *Georg. Cliffortii* inter *Harlemum*
& *Lugdunum* in Belgio sito.

Planta præfens ex America in Hortum *Cliffortianum* transportata, per quinque fere integros annos sat felix crevit, nulla tamen floris indicia per totum istud tempus obtulit: sed ecce in ipsis auspiciis hujus anni 1736, & quidem circa primum diem anni, racemum *Spathis* involutum protrudere incepit, idque tam cito, tam expedite, ut die 24. *Januarii*, desideratissimos suos flores spectantium admirationi subjecerit. Flores hi non uno eodemque die luxuriarunt omnes, sed per gradus & dies se invicem excepere, diversæ indolis, diversæ naturæ, secundum sequens schema.

<i>Spatha</i>	1	flores nullos continuit, cujus locus in figura	2
	2	--- IV. qui viguere januar. 28-30. vide figuram	3
	3	--- VI. - - - - - 24. 25. - - - - -	4
	4	--- V. - - - - - 25	5
	5	--- IV. - - - - - 25	
	6	--- V. - - - - - 30 - - - - -	6
	7	--- III. - - - - - februar. 1	
	8	--- III. - - - - - 2	
	9	--- III. - - - - - 4	
	10	--- V. - - - - - 5	

plures *Spathæ* in promptu sunt, quæ indies explicabuntur, floribus instructæ, sed abortientibus.

Horum

Horum flores sub Spatha 2^{da}, 3^{ia}, 4^{ta} & 5^{ta} a parte feminina perfecti fuere & fructiferi, reliqui omnes a parte masculina completi, sed abortientes.

Mores &
proprietates.

26. MORES & proprietates singulares plantæ nostræ si quis curiosus considerat naturæ spectator, vix in ulla alia, inter omnia nota vegetabilia, tam plura notatu digna reperiet, quam in hacce sola & unica.

a. Mirum est, quod planta nostra in Indiis annuo gaudeat caule, qui apud nos per decem & plures annos durat, nec facile perit si rite curetur, antequam flores & fructus, finem sc. ultimum, produxerit.

b. Singulare est, quod hæc (ut Aloë ista maxima Americana & Corypha pag. 11. quæ ultima triginta vel quadraginta annos requirit, antequam justam & septuaginta pedum altitudinis staturam nancisci possit) post primam & unicam istam florescentiam destruatur & pereat. heu dura nimis & immisericors Venus, quæ speciosissimam gratissimamque nostram Musam, a prima copula, in primo puerperio, destruis, deles! heu durum Fatum, quod Musas omnes semel modò florere concedis, mox destruis, ne vulgares nimis fiant & viles habeantur! unicum tantum das solatium, quod non penitus & radicitus extirpes, sed e radicibus nova germina propullulare concedas.

γ. Curiosum erat videre, quod exacte eodem die, quo florum racemus prodibat e summitate, eodem momento e radice emergeret novus Stolo, quo planta hæc velut præscia futuri fati, familiam conservare studet.

δ. Commune habet planta nostra cum plurimis Palmis, quod folia e summitate tantummodo exserat, inferiora contabescere sinat, contra naturam aliarum arborum, quæ e gemmis folia sua producunt. Hæc si consideraverimus, videbimus Musam, non modò nostram, sed Palmas fere omnes, cum Bulbosis plantis, & Aloë prædicta, ac Yucca exacte

exacte convenire; radix enim in hac planta, nuda elongatur supra terram, ut omnino herba sit, non verò arbor dici debeat. Nulla enim inter herbas & arbores est differentia, quam quod arbor gaudeat ramis perennantibus & foliis gemmis per hyemem includat; herba verò caule annuo, radice itaque loco gemmarum, instruatur. Defodias itaque caulem arboris in terram, ut radices ramulorum tantummodo superemineant, & habebis Plantam perennem; perfodias Musam ad folia usque, habebis absque controversia ulla herbam bulbosam, bulbo imbricato more Lillii, licet hic oblongo instructam. Arbores deinde fere omnes *Muscis* cauli insidentibus ornantur, herbae vix unquam, ut nec nostra Musa.

7. *Caulis* Musae nostrae totus quasi e foliorum basibus constare videtur, ut vix verè caulis dici queat. Hic in mentem venit sententia Veterum, qui *Opuntiam* tantummodo foliis caule destitutis statuebant, cum nos e contra solo caule sine foliis ullis eandem describimus, a *Cereo* ejusdem cum *Opuntia* generis edocti. Quibus plantis certe nulli limites, ne quidem e caule unquam assignari possunt. Algæ autem plurimæ & inter has præsertim *Lemna foliis oblongis* (*Lenticula trifulca* aliis) perfectè tales sunt plantæ, quæ e solis foliis sine caule, dichotome impositis, construuntur.

8. Considerantes Musæ nostræ *Vestitum* veneramur Omniscentiam Creatoris, qui procul dubio ob duplicem rationem hanc tali modo defendere voluit Plantam. Calorem enim, nec frigus tam cito penetrare, ubi particulae, lamellæ vel parietes a se invicem remotæ existunt, quam ubi contiguæ sunt, patet ex physicis. Sic Planta nostra, calidissima inhabitans loca, hisce lamellis munita videtur, ut eo facilius vi caloris intensissimi de die resistere posset, & nec, cum

E

subita

subita mutatio sit semper periculosa, tam facile destruat, sed per aliquod tempus præservetur, donec oriens sol hostem depellat.

7. *Racemus* hujus Plantæ singulari modo sese præbuit: Omnes fere pedunculi, flores suos, præsertim in hybernaculis, versus fenestram & meridianam plagam inflectunt, cum tamen hic e contra versus boreali-orientalem plagam sese incurvabat. Singulare erat, quemadmodum racemus reflectebatur a linea perpendiculari, ita flores feminini & fructus retroflectebantur ad eandem perpendicularem lineam. Singularis etiam erat racemi species: Flores enim nonnulli collocabantur simul & sessiles ad latera pedunculi communis, inque denticulis alternis, ut in spica videre est. Spicam tamen dicere non possum, cum spatha ad singulum denticulum ponitur, quod in vera Spica nunquam contingit.

8. *Folius* gaudet hæc Planta, inter omnes quas novimus, *simplicibus omnium maximis*, quæ ut in herbis, non autem arboribus, contabescunt, nec hyemem respiciunt, nec vere, nec autumnno excrescunt aut pereunt, sed indifferenter omni anni tempore virent.

9. *Vasa foliorum* e costa longitudinali ad angulum rectum exeunt, cum in aliis communiter Plantis ad angulum acutum egrediantur. Quo canalus aliquis rectior, eo etiam facilius est humorum per illum propulsio, e contra eo difficilior, quo magis ab ea directione ad angulum rectum discedit. Hæc causa est, cur hæc planta intensiore fieri debeat calore, qui humores vehementer distendere & propellere potest, sine quo circulatio peragi nequit, ideoque etiam necessarius erit locus ejus natalis in calidissimis terræ regionibus.

10. *Corolla* calyce communiter coloratior esse solet: in
hac

hac Planta verò calyces isti Spathacei elegantissime purpurei sunt, corolla florum verò obsolete flavescentes.

λ. Plantæ omnes in quacunque regione semper *Floribus* ejusdem structuræ gaudere solent, nostra non item. *Plumierius* in AMERICA intra corollam a nobis descriptam inserit tria petala, quorum unicum clypeiforme, subrotundum, apice bis emarginatum, duo reliqua verò linearia acuminata sunt. *Hortus Malabaricus* in ASIA, petala ista tria Plumieriana floribus fertilibus assignat, masculinis verò denegat. *Acta Lipsiensium* in EUROPA calycem trifolium lanceolatum cum tribus petalis subrotundis concavis flori adscribunt. *Nostri* verò unico gaudet petalo, unoque nectario, tamen fertilis est. Qualis hæc mutatio & naturæ lusus?

μ. Inauditum omnino per totum regnum vegetabile est, quod Planta aliqua tam singularibus gaudeat *Sexibus* & floribus attributis, qualibus. Hæc. e. gr. α. Duplices flores Hermaphroditos, inter se diversos, in eadem Planta nunquam vidimus, præterquam in hac sola. β. Alii horum fecundi à parte feminina, alii verò à masculina erant; sed hi a parte feminina, illi verò a masculina steriles, ergo alter flos erit mas, alter femina. γ. In hac itaque Planta singularis & sine exemplo sese offert species polygamix: concessum enim in ea est, ut duo diversa conjugia inter se coire queant, & unica uxor maritis inanibus nupta amplectatur alterius feminae maritos, cum mariti isti cum uxore sterili & inepta juncti sint. δ. Si itaque his concessum sit (γ) ut maritis & feminis connubium, necesse etiam esset, ut eodem tempore florerent, quemadmodum in omnibus aliis sexu distinctis plantis fit, alias nulla fieri potest fecundatio; Hic autem florere omnium primò feminini & postea masculini; quod sane mirum!

v. Cum primum legerim apud authores, quod *Semina* in hac Planta *deficerent* (*H: Mal:*), vel rudimenta eorum tantummodo adessent (*Plum:*), vix risum tenere potui, certus D. T. O. nihil in cassum creasse, nec ullam Plantam ullumve animalculum seminibus destituisse, æternamque hanc legem, & æterna foedera vivis omnibus imposuisse, cum autem viderim primi matrimonii, primorumque florum feminas maritorum suorum officio destitui, & maritos sequentis thalami, ad posseffa venire præceptaque gaudia feros, risum tenui, & meridiana luce clarius intellexi, quod nulla semina perfecta unquam in hac specie prodire queant, nisi plures Plantæ simul positæ eodem fere tempore florerent, vel altera per aliquot dies serius, ut una tum in alteram agere posset. Deinde Summus Conditor, quantam utilitatem humano generi adferret hæc Planta, optime prævidens, soli homini forte (ut Avium *Visci.*) plantæ hujus e distant propagationem commisit, quæ licet seminibus destituatur, tamen a centum annis per totam Americam dispersa est. Radix enim perennat, caulis verò ibi omni anno excrescit, floret ac perit, &, etiam citra ullam florentiam, novos stolonos exerit, quibus multiplicari potest; potest itidem a radicibus separatis in plures dividi.

§. Inter omnes quas vidi Plantas, in nulla tam magna, respectu floris, germina vel *Ovaria*, observavi unquam floribus antecessisse, ac in hac nostra.

o. *Staminum* structura in floribus femininis maxime singularis est: Stamina scilicet sex, aut æqualia, filamentis solis constructa, aut inæqualia, quinque filamentis erectis brevioribus, sexto duplo longiori, antherâ polline sterili, instructo; quæ in alia nunquam observata scio.

κ. *Nectarium* in omnibus floribus femininis copiosissimum.

num continebat melleum nectar, aquæ consistentia & colore, dulcissimo sapore, quod in verticillo primo (fig. 3.) a floribus absorbebatur, in tertio, quarto & quinto (fig. 4. 5.) verò non item, sed post diem incrassabatur, consistentiam & colorem humoris vitrei ex oculo referens, in floribus autem masculinis nullus unquam aderat liquor. Quid sibi vult melleus liquor in omni flore? quid hujus in animalibus analogon? cur resorbebatur ubi fructus perfectior evasit, in aliis non? cur solum stamen longissimum demergebatur in nectare?

¶ *Tempus florendi* singulare etiam erat: Verticilli enim secundus, tertius & quartus (Fig. 4. 5.) uno alterove die absolvebant florescentiam, deinde mox corollam & stamina rejiciebant, e contra verticillus primus (Fig. 3.), qui, jure primogenituræ, primum florere debuisset, quasi expectans feros masculos, diu protraxit institutas nuptias, & post actum factum calycis instar viridis coriaceam retinuit corollam & vivaciora protrudit germina, quorum spes maturescendi certior nobis est.

Omnia quis referat, nil non laudabile vidi.

27. *Anatomicae* observationes nullæ me detinebunt; quis enim cultro Anatomico, quod maxime carum haberet, concederet? Quis Musæ, tam nobili foetu gravidæ, non parceret? Sufficiat meminisse *Petiolorum* singularem structuram: hi enim si oblique dissecentur, apparebit eos constare tunicis longitudinalibus, intra se invicem positis, nec tamen contiguis, squamis transversalibus itidemque a se invicem remotis intertextis, ut in eis cellulae vacuæ, tanquam in Lithophyto isto, Retepora dicto, conspiciantur.

Nec *Microscopicas* observationes in herba omnium maxima adducam ulla; annotare modò liceat, quod, cum folium quoddam distrahatur, in conspectum prodeant *Vasa*

innumera tenuissima, vix nudis oculis conspicua, filis araneorum simillima, alba, parallela & tenacia.

V I U S U S.

Nos Europæi miramur, homines vivere posse sine Cerere, sed adeamus utramque Indiam, maximo incolarum numero gaudentem, & videbimus ejus ad palmeta vitam, sine fruge valde felicem.

Palme enim gratis omnino & solo almæ naturæ munere conferuntur absque aratro & labore, nisi laborem quis dicat, quod sudorem vix movet. Kämpf. Evolvamus de Cocco (pag. II.) scriptores, & videbimus, quod ex sola ista arbore omnia obtineant incolæ, quæ unquam desiderari possunt; E. G. Panem, juscula, olera, lac, oleum, spiritum, vinum, acetum, saccharum, vestes, domos, tecta, naves, vela, funes, fila, clavos, papyrum, vascula, &c. ut audacter dicere possim, nihil utilius humano generi pro œconomia unquam a D. T. O. concessum fuisse, quam hanc palmarum familiam.

Usus œconomicus.

28. Seponamus reliquas palmas omnes & modo videamus Musæ nostræ in OECONOMIA dotes, & cur per totum orbem, ubi crescere queat, transplantata sit; pauca tradam:

α. *Domos* suas foliis Musæ in insulis Latronum tegunt, ubi nil nisi pluvia & radii solares arcendi.

β. Sine hisce foliis vix persistere possent homines in locis ardentissimis, quibus radios arcant *itinerantes*; sub eis *cubant* lassī, ne fervore solis comburantur.

γ. Homines qui nudi alias incedunt in CAPUL, *subligacula* e foliis conficiunt, quibus, quæ natura celare voluit, tegunt.

δ. Sunt